



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Via Trium Dierum In Solitudinem Ad Sacrificandum
Domino Exod. 8. Seu Triduana Ven. Cleri Solitudo Et
Animi Collectio Deo Sacra Duce S. P. Ignatio Loyola,
Societatis Jesu Fundatore**

Zech, Michael

Ingolstadii ; Monachii ; Aug. Vindel., 1762

3. Oviculas per bona Exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60697)

II. *Pasce exemplo.*

Timothee! Omnis quidem Sacerdos, imo & Clericus præ sæcularibus debet proximum bono exemplo ædificare; nam *bene attende*, ait S. Hieron. * - *quid agas. Vita tua ab eo tempore, quo Sacerdos es factus, facta est vivum exemplar. Laïcorum, & domus tua morum schola: nihilominus animarum Pastoribus major adhuc incumbit necessitas & obligatio, suis ovibus bono prælucendi exemplo. Utrumque clare asserit Scriptura. Christus vult, ut Apostoli, & eorum Successores fiat prius Sal terræ, deinde Sol, seu Lux mundi: Sal per exemplum, Sol & Lux per doctrinam: tandem concludit, ** Sic luceat Lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. *** Consonat Paulus Titum instruens: In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum: & ad Timotheum suum scribit **** Exemplum esto fidelium in verbo, & conversatione, in fide & castitate, & patheticè S. Petrus ad Pastores animarum: ***** Pascite, qui in vobis est,*
gre-

* Ep. 3. ad Heliodor. ** Matth. 5.

*** C. 2. **** Ad Timoth, I. c. 4.

***** Ep. 1. C. 5.

gregem, non ut dominantes in Cleris, sed ut forma facta gregis.

Hujus obligationis ratio a priori est, quia ex sanitate capitis & Pastoris ut plurimum pendet sanitas corporis & gregis; nam Pastor ovium ante eas vadit, & oves illum sequuntur. * - Qualis Rex, talis grex, - hinc Chrysofost. ** *Cum videris populum irreligiosum, sine dubio cognosce, quia in Sacerdotibus culpa est.*

Confidera ulterius, Timothee, quale, quantumque hominis dicam, an dæmonis, monstrum foret, si quis Sacerdotum, aut omnino Pastorum, loco boni exempli, daret scandala suo gregi, atque adeo ex Pastore lupus fieret, utique omnium perniciosissimus, quia sub pelle Pastoris personatus, formam canis pecuarii, & gregum custodis indutus, ad quem oves accurrerent, atque confugerent, quem deberent fugere cane pejus & angue, imo & dæmone. De tali, siquis daretur, merito Chrysofostomus rursus exclamaret: *Quid futurum, si agas lupum pro Pastore, prædonem pro gubernatore, carnificem pro Medico? ****

G 5

Ego

* Joan. 10. ** Homil. 2. *** Ep. 2. ad Olymp.

Ego quidem tale monstrum dari unquam potuisse, aut posse, nunquam crederem, nisi lamenta Dei audirem:

** Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos.*

At quid futurum illis? quæ pcena manet eos? . . . Ad hoc respondet ipse Deus, ita tonans: *** Et nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes. Vos scandalizastis plurimos in Lege, propter quod & ego dedi vos contemptibiles: maledicam benedictionibus vestris - dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. Dei verba sunt in Sacerdotes Legis antiquæ, fulmina in Sacerdotes scandalosos novæ Legis. De his S. Greg. M. ait: Prelatus (Pastor) tot mortibus dignus est, quot ad subditos exempla suæ perditionis transmittit.*

Tu, mi Timothee, ut ab his mortibus sis immunis, proximum sedulo pasce verbo, & exemplo: cave non modo omne scandalum formale, sed omne, quod facile posset fieri scandalosum - v. g. hospitia publica, choreæ prorsus omnes, joci illiberales, potus liberalior, familiaritas cum sexu altero. Ista si caveas, te, & tuos facile salvabis.

III.

** Jerem. 50. ** Malach. 2.*